ANTONII DEUSINGII
Med. ac Philos.

APPENDIX
Ad Dissertationem
De
HEPATIS OFFICIO
Seu
VINDICIÆ HEPATIS REDIVIVI,
Leni correctione tangentes sequiorem Interpretationem
Clarissimi VIRI
D. J. van HORNE, Med. Doct.
Anatomiæ & Chirurgiæ in Acad. Lugd. Bat. Professoris.

GRONINGÆ,
Typis FRANCISCI BRONCHORSTII;
Civitatis Groning. Ordin. Typogr.
ANNO 1661.

ANTONII DEUSINGII
Med. ac Philos.

APPENDIX
Ad Dissertationem
De
HEPATIS OFFICIO,

Post publicam calamitatem in Halcyonia versam, instauratumque Hepatis perantiquum Principatum, est sanè, Candide Lector, quod Principi Hepati ex animo gratulemur, eidemque propemodùm adornemus Triumphum, quòd & Patronos inveniat in numero eorum, qui Hepatis Principatui Sanguinario, (eidem Jure Feudali tributo, firmatoque à vitæ Monarcha Corde, Microcomi Imperatore summoque Rectore,) adversari credebantur, ratione non aliâ, quàm, quòd Nob. *Bilsio*, (præclaro illi Hepatis Propugnatori, ututCordi non minùs pro meritis addicto,) adversari cernerentur.

Inter eos est Vir Clariss. & Experientiss. *D. I. van Horne*, Med. Doct. atque in inclyta Lugd. Bat. Academia Anatomiæ ac Chirurgiæ Professor Celeberrimus, qui

in suo *Microcosmo* § 27. agnoscit ac profitetur *Chyli portionem per venas mesenterii rubras unà cum sanguine ab intestinis remeante, devehi ad Portæ truncum, è sima parte Hepatis erumpentem:* Uti & § 29. *Postquam Chylus,* inquit, *in venis mesaraicis sanguini confusus, pervenit ad Portam, sursum evebitur per ejusdem ramos, intra Iecoris carnem dispersos; quibus cùm obviam eant à superiore & gibba Hepatis parte descendentes ramuli venæ cavæ, humor ille, nunc à moderato & blando Hepatis calore excoctus, ac peculiari nomine CHYMUS dictus, ex uno vase in alterum transit, non quidem per Anastomoses, quæ nullæ sunt, (si unam insignem excipias, quæ canalem æmulatur, & in fœtu tantùm conspicitur,) sed mediantibus Parenchymatis poris, unde etiam hoc, infuso per Portam liquore albo,* inquit, *ad superficiem usque tingi videmus.* Ne verò Cordi interea suum videatur imperium derogare, jure merito hæc addit: *Cùm itaque ad oculum demonstrari possit, liquorem è Porta ad cavam tendere; similiter & sanguinem, qui in trunco venæ cavæ, corde inferioris, existit, per ligaturam in vivis institutam, sursum videamus vergere ad Cordis ventriculum dextrum,*

dextrum, eidemque infundi; judicandum sanè est, de CHYMO similiter fieri. Hæc & alia similia in *Dissertat.* mea *Epistolica* nupera *de Hepatis Officio* in medium protutulissem, ni videri potuissem velle Viros Eruditos inter sese committere, vel discordię semina spargere inter eos quos non ignorabā amicos, vel saltem Clariss. Dum *vanHorne* inconstantiæ arguere, qui, dum palmariam Clariss. *D. Bartholini*, quâ hic à *Bilsio* diffidet, sententiam evertit, ac Hepati nobiscum ac cum *Bilsio* Sanguinarium suum munus restituit, ipsumque Hepar sepultum at reviviscens pridem producit in lucem, claudicare videatur in latus utrumque, *Bartholino* contra *Bilsium* se jungens. Abstinui ergo, ne crearem offensam. At dum nunc video præter meritum me impeti à Viro Clariss. meaque verba mutari, sensumque in meis saniorem inverti, ac invidiam mihi tum apud Clariss. virum *D. Bartholinum* (quem humaniter colo,) tum apud omnes Anatomicos Practicosque, si fieri pote est, non mediocrem excitari, *in Disp. Anat.* 2. *de Glandulis Oris*, &c. tandem cogor profiteri, mirari me, novos inre plana, ipsum Hepar concernente, conatus, institui

ab eo, qui *Bilsii* palmariam ſententiam pridem, quâ *Bartholino* obnitur, *de motu chyli ad Hepar, hujuſque Reſurrectione*, in propatulo propugnat. Saltem gratulor veritati, inter acres quorundam pugnantium conflictus, caput in ſublime efferenti. De mente equidem Clariſſ. Viri *D. van Horne* quoad *Hepatis Officium*, non poteſt eſſe dubium, ſi perpendamus allegata: Dum ergo videtur in *Bilſium* inſurgere, ne credas, Candide Lector, eum velle ſuam ipſius ſententiam impugnare, ac ſibi ipſi contradicere, ſeu velle Principatui Hepatis obniti, ac ſiſtere motum chyli ex inteſtinis per venas meſaraïcas rubras ad Hepatis viſcus, ubi coctione & elaboratione vi Hepatis præſtandâ, rudimentariam ſanguinis diſpoſitionem acquirat, excoquendi pleniùs à ſupremo Microcoſmi Monarcha Corde, (addo & aliis viſceribus, ac continuâ ſui agitatione motuque, ut in *Exercitat. de ſanguificatione* oſtendimus,) atque ita ad ſtatum volatilitatis Spirituum plenariè redigendi. Sentit per omnia nobiſcum circa Hepatis Officium, atque à *D. Bartholino* (quem nos quoque colimus, quem debito honore pro meritis extollimus).

mus,) δὶς διὰ πασῶν, totoque cœlo longiùs dissentit: dum interim, nescio quâ ratione, quo molimine, Celeberrimo *Bartholino* contra nos abblanditur, in ipso negotio ad Hepar attinente, cùm in nupera sua *Disputatione* alleg. §. 42. postquam de *Lymphæ motu ad Hepar*, juxta *Bilsii* opinionem, (quàm nostam non fecimus,) dissertationem instituit, *Et hic ille Chyli motus est*, inquit, *quem sibi demonstrari in Spicileg. 2. D. Bartholinus cupit; quem Bilsius in Epistolica Dissertatione adstruit, &c. ut mirer*, inquit, *D. Deusingium in Chyli nomine ex Bilsii mente explicanda occupatum, Bartholinum iniquæ postulationis accusare. De illo enim humore loquitur*, inquit, *qui in lacteis mesenterii continetur, & quem inde ex parte per lymphatica in Hepar deferri Bilsius demonstrandum suscepit.* Ignoscet mihi Vir ille Clariss. si ingenuè profitear, me summoperè mirari, ipsummet occupatum in *Bartholini* mente genuina detorquenda, magis privatis nescio quibus affectibus indulgere, quàm indagini veritatis; vel certè nec *D. Bartholini*, nec *Bilsii*, nec nostram mentem, sereno satis animo, atque ab affectibus vacuo, ut decet expendisse.

Notum utique omnibus est, quibus non ignotæ sunt *Hepatis Exsequiæ* à Clariss. D. *Bartholino* celebratæ, ac *Dissert. Epistolica Nobiliss. D. de Bils*, *de Hepatis Resurrectione*, pulmariam Quæstionem, quæ *D. Bartholino* cùm *Bilsio* intercedit, hanc hactenus fuisse, An quicquam Chyli ad Hepar deveniat, ibidem in sanguinem, vel sanguinis saltem rudimentum, vertendum, adeòque, an Hepati sanguificationis ullum conveniat munus? *Bartholino* id negantè, quòd omnis Chylus per ductum thoracicum ad Cor deferatur; at *Bilsio* affirmante, omnem Chylum, propriè ita dictum, seu quicquid in sanguinem converti est aptum, non nisi per venas mesaraicas rubras ad Hepatis portam contendere, ipsumque Hepar subire, ibidemque mutari, coqui utcunque, ac rubedine tingi; Dico Chylum propriè ita ductum *Bilsio* judice ad Hepar deferri: nam quod vasa lactea ex intestinis subintrat, ex chylo latiore significatu accepto, quodque per vasa lymphatica, (quæ *Bilsio* quidem à lacteis seu roriferis, ut ipse appellat, non discernuntur,) hinc in Hepar, hinc in Receptaculum Chyli, ut dicitur, infundi *Bilsio* creditur,

ditur, id ne quidem Chyli appellationem mereri disertè inculcat, neque ex illo sanguinem confici existimat: (de quo quæ nostra sententia sit, nequaquam per omnia conceptibus *Bilsii* congrua; ex nostris scriptis potest liquere, speciatim ex iis quæ obiter exposui *Dissert. Epistol. de Hepatis Officio p.* 203. *& seqq.*) Circa hanc *Chyli* juxta mentem *Bilsii* distinctionem, ipsa Nobiliss. Viri verba protuli, (allegato ipsomet ubi signata sunt loco,) in dicta *Dissertatione pag.* 219. Hæc respicit Cl. D. *van Horne*, *dum me in Chyli nomine ex mente Bilsii explicanda occupatum* pronunciat: At oculo sanè distorto ea respicit, vel mente per affectus aliorsum abducta. Quippe in *Spicileg. secundum Bartholeni*, quod nominat, sermonem nuncium mentis intendit, ubi nempe *cupiat Bartholinus sibi Chyli motum ad Hepar demonstrari*; at ex quibus *ego iniquæ postulationis D. Bartholinum accusare* proclamor: Sed oculum interim aliorsum convertit, obliquumque tuetur; cùm utique illa *postulatio Bartholini* (qualiscunque ea sit,) cujus meminit Cl. D. *van Horne*, occurrat demum in *D. Bartholini Responsione de Experimentis Anatomicis*

 Bilsianis,

Bilſianis, *& difficili Hepatis Reſurrectione*; quam ego tetigi demum in P. S. *ad Hepatis Officium* (p. 351.) ſedeo interim quo Virum Philoſophum decet candore & humanitate. Nec verò *accuſavi Cl. D. Bartholinum iniquæ poſtulationis*, ut perperam inſimulor, (quaſi animo Clariſſ. Viri *inquitatem* impingam;) ſed cùm *D. Bartholinus* à *Bilſii* mente aberrare videatur, (quod moneo diſertè,) dico *iniquam conditionem* eſſe, ſub qua *Bartholinus non difficilem aſſenſum* pollicetur, *pro Hepatis Reſurrectione in munus antiquum*. *Iniqua* inquam, *conditio* eſt, ſi ad mentem *Bilſii* referatur; *iniqua* nequaquam eſt, ſi referatur ad mentem *Bartholini*, ſiquidem *perperam mentem Bilſii percepiſſe videtur Vir Excell.* (vel fortè ad mentem illius antè ritè perceptam non ritè attendiſſe,) *circa Chyli motum ad Hepar*, ut diſertè mea verba habent. An verò ea ipſa verborum meorum in alienum ſenſum detorſio ſpectet ad invidiam mihi apud Cl. *D. Bartolinum* conflandam, vel inimicitias ferendas inter fratres, id relinquo Autori, is ſuum animum excutiat. Sed magis cordatus eſt Cl. *Bartholinus*, cum quo honeſtè & humaniter egi, ut Virum veritatis aman-

amantem decet, quàm ut ex aliorum verbis me meaque dijudicet: Locutus sum ipsemet, ut me ipsum videret. Equidem *iniqua* forsan *postulatio* aliqua potest censeri ab æquissimo interim animo profecta; at interim talis *accusationem* non meretur, nec citra crimen iniquitatis abripitur in *accusationis* materiam, dum animus ipse præsumitur æquus: Sicque *iniquum* dicere vel facere quis potest malè persuasus, qui interim ipse minimè iniquus est, nec ullam animo iniquitatem complexus. Si *accusavi Bartholinum*, certè erroris duntaxat, unde conditio iniqua *Bilsio* proposita, nequaquam *iniquitatis* seu *iniquæ postulationis* eundem *accusavi*; at interim *accusationem* (quam Cl. viro lubuit appellare) humanissimo atque amicissimo sermone ad ipsummet *D. Bartholinum* direxi, ipsumque Judicem feci: hoc si *accusare* est, nequaquam tutum erit deinceps Amicis inter sese de Veritate disquirere. Sed mitto hanc ἀκυρολογίαν sermonis, quæ facilè committitur, ubi à verbis Autorum pro arbitrio receditur, ac aliena verba pro genuinis obtruduntur.

Sed fieri potest ut ha Incinatus sim ipse,

atque inciderim in errorem, *Bartholini* mentem haud rectè affecutus: Atque hoc ipsum fortasse est, quod *miretur* D. ab *Horne* ita *Deusingium* impegisse. Utique ipsissima *Bartholini* verba recitavi, loco paulo antè cit. (P. S. p. 351.) ac ne quidēunum Iota mutavi: Nempe h c erat ejus sermo, in prænominata *Responsione* p. 10. Nec *animum obfirmabo, facilis ad applausum, si istis Anatomicis Professoribus, præter alia, demonstraveris Chyli ingressum in Hepar sed immediatum ex venis lacteis, non rubeis mesentericis per longas ambages, quibus cum sanguine mistus, Chyli propriam appellationem amisit.* At inquit *D. van Horne, De illo humore hic loquitur D. Barthol. qui in lacteis mesenterii continetur, & quem inde ex parte per lymphatica in Hepar deferri Bilsius demonstrandum suscepit.* Doleò profectò, quòd cogar oscitantiam Clariss. Viri (ignoscat dictioni præter votum duriori, cùm commodius non inveniam,) apertè demonstrare. Ipsa illa verba *Bartholini* manifestè ostendunt, quem *humorem* respiciat; nempe non agnoscit ullum *Chyli* (qui in sanguinem converti aptus sit,) *ad Hepar ingressum per venas rubras mesentericas*; *nisi per lon-*

gas:-

gas ambages, (sc. per ductum thoracicum primò ad cor, indeque per arterias ad mesenterium & intestina, delati,) *quibus cum sanguine mixtus propriam appellationem amiserit*, ita ut non amplius verè chylus habendus sit, in sanguinem crudiorem jam modò conversus; (quod utiquè in *Lympham Bartholini*, seu *Bilsii* Rorem, hoc est; in illum *humorem*, *qui in lacteis mesenterii contentus, inde ex parte per lymphatica vasa in Hepar deferatur*, minimè quadrat,) cùm econtrà *Bilsius* pro Hepatis Resurrectione contra *Bartholinum* contendat, Chyli veri ac genuini in venas mesaraïcas ingressum proximè ex intestinis contingere, nec per aliam viam ullam Chylum verum ullibi sanguini misceri: Dum ergo reverà *Bilsius* contendit, genuinum chylum immediatè ex intestinis in venas mesentericas rubeas subire, ac per hasce deferri in Hepar, quod ipsum se ad oculos ostensurum in sum *Differt. Epistolica* promittit; nequaquam verò per venas lacteas quicquam ad Hepar deferri, quod chyli nomen mereatur, seu ex quo sanguificationis munus (de quo illic quæstio) Hepati adstrui queat; an injuriam feci Clariss. *Bar-*

tholino(quam fortè *miretur D. ab Horne*,) quòd *iniquam* innuerim *conditionem*, quâ vult ut B*ilsius* demonstret quod nequaquã promisit, quin imò quod apertè impugnat, sc. *chyli ingressum inHepar*(pro sanguine conficiendo, seu confirmanda Hepatis Resurrectione, de ea enim illic sermo est,) *sed immediatum ex venis lacteis, non rubeis mesenter.cis*, &c? Sed quò evidentiùs appareat iniqua Viri Clariss. Censura, quâ impetit nostra, ipsum consulat *Bartholinum*, quem fortè hactenus non vidit, vel si vidit ac cum ratione expendit, parùm prudenter hîc agit, invidiæ me exponens sequiore interpretatione. Recitabo ipsamet verba *Bartholini*, quæ paululùm præcedunt superiùs allegata, (*Respons. pag.* 9.) ut appareat de quanam materia agatur: *Exspectabat curiosus animus*, inquit, *cum novo vasorum Lymphaticorum progressu & usu* (sc. quem *Bilsius* urget,) *solidam distributionis Chyli ad Hepar demonstrationem, quam Bilsius promisit* (NB.) *ut Hepati ad Resurrectionem aditus pateret; opinione falsus & exspectatione, præter Vespillonum nænias & Siculas gerras, nihil audivi. Nam, cæco favore*, inquit, *in Hepatis auxilium ruis, & chylum*

illi-

illi infers per mesaraïcas, (NB. hasce *mesaraicas*, per quas promisit *Bilsius* solidam distributionis chyli ad Hepar demonstrationem, opponit *Bartholin.* vasis Lymphaticis seu Roriferis, vel lacteis, quæ lacteæ à lymphaticis seu roriferis *Bilsio* non distinguuntur; at nihilominus, judice *D. ab Horne*, censendus est *loqui de illo humore, qui ex mente Bilsii in lacteis mesenterii continetur*, &c. Sed audi plura,) *quas* mesaraïcas *eo imbutas*, inquit, *nec nunquam vidistis, nec reapse demonstrare potestis.* Nempe, exspectabat *D. Bartholinus*, ut cum novo vasorum Lymphaticorum seu lacteorum progressu & usu demonstraret *Bilsius* per illa ipsa vasa Chyli transitum ad Hepar, pro hujus Resurrectione confirmanda; At *Bilsius* Chylum infert per mesaraïcas vulgares Hepati: quæ via cum *Bartholino* minùs expedita videatur, nec ulli demonstrabilis, vult ut *Bilsius*, *præter alia* (quæ nempe de vasorum lacteorum progressu quoquoversum, &c. crepat,) *demonstret chyli ingressum in Hepar, sed immediatum ex venis lacteis, non rubeis mesentericis* &c. Judicet nunc ipse Clariss. *D. ab Horne*, an hoc ipsum, quod disertè pronunciat *Bartholinus* de *Cremore*

Cremore illo quo *venæ mesaraïcæ*, (prout à lacteis ipsi distinguuntur,) sunt *imbutæ*, *per quas Bilsius chylum Hepati infert*, quo *cremore* easdem *mesaraïcas imbutas* Hepatis Patroni *nec viderint unquam*, *nec reapse demonstrare possint*, an hoc, inquam, intelligendum sit de *humore illo qui in lacteis mesenterii continetur*, juxta *Bilsii* mentem? Judicet inquam Cl. Vir, quàm longè à mente *Bartholini* aberrarit, dum iniqui judicii arguere nos voluit. Interim attendat idem ille Cl. *D. van Horne*, illa ultima verba *D. Bartholini* (sc. *quas* venas mesaraicas *eo cremore imbutas nec unquam vidistis, nec reapse demonstrare potestis,*) sciatque eadem in ipsum quoque *D. van Horne* vibrat aeste, ut pote qui unà cum *Bilsio*, ac nobiscum, asserit ac urget Chyli portionem non contemnendam (quę quidem sola *Bilsio* verus Chylus est, in sanguinem converti idoneus,) per venas mesaraicas rubras in Hepar deferri, ut superiùs ex ipsomet produximus: At interim hîc ipsi vapulare debemus, dum pro ipso pugnam (utut amicam.) contra *D. Bartholinum* intendimus. Committam ergo potiùs deinceps ipsum *D. van Horne* cum *D. Bartholino*, ut is virum se præstet, suumque Chyli

Chyli motum per venas meſaraïcas rubras ad Hepar (quem reapſe demonſtrari non poſſe contendit Cl. *Bartholinus*,) eat propugnatum: Sed hîc fruſtra erit, certus ſum, niſi noſtras rationes, ac Bilſii Experimenta fuerit amplexus. Interea verò, ne credat Vir Cl. adeò vecordem eſſe *Bartholinum*, qui velit ſe facilem præbere in admittenda Hepatis Reſurrectione, ſi modò ipſi probetur à *Bilſio*, *humorem illum qui in lacteis meſenterii continetur*, (quem à Lympha *Bilſius* non diſtinguit,) per ipſa illa lactea ſeu *lymphatica vaſa* in Hepar deferri; cùm ne ipſe quidem *Bilſius* illum humorem idoneum agnoſcat, ex quo ſanguis queat generari: Ut adeò parum profutura ſit *Bilſio* apud *Bartholinum* demonſtratio humoris ejuſmodi roridi ad Hepar per vaſa lympatica delati, pro Hepatis Sanguificatione aſſerenda, ac per conſequens pro Hepatis Reſurrectione ſtabilienda. Dum verò poſtulat Cl. *Bartholinus*, ut ſibi demonſtretur Chyli propriè dicti, ſeu ejus cremoris qui in ſanguinem converti idoneus exiſtat, *ad Hepar affluxus per lacteas venas*, quo Hepatis Reſurrectio ſtabiliatur; jure merito cenſui, iniquam hanc eſſe conditionem

pro

pro impetrando in Hepatis resurrectionem assensu, quæ id *Bilsio* imponit, quod à mente hujusce omnino alienum est: Nequaquam enim *promisit Bilsius* (ut loquitur *Bartbol.*) *solidam distributionis Chyli ad Hepar demonstrationem*, juxta exspectationem *Bartholini*, sc. *cum novo vasorum Lymphaticorum progressu & usu*; sed per ipsas venas mesaraicas rubras, ut superiùs monitum: ut adeò *Bilsii* mentem Vir Excell. non rectè percepisse debeat videri, vel saltem ab illa omnino aberrâsse, dum iniquam hanc *Bilsio* conditionem proponit, ut demonstret per vasa lymphatica chylum, in sanguinem vertendum, (*quo* nempe *Hepati ad resurrectionem pateat aditus*, ut loquitur ipse *Bartholinus*,) ad Hepar deferri.

Sed ut evidentius appareat, quàm malè hîc judicet *D. van Horne*, utque non ampliùs credat, *Bartholino* sermonem esse *de illo humore, qui in lacteis mesenterii continetur*, (qui Bilsio *Lympha* seu *Ros* existit, quem negat idoneum esse humorem qui in sanguinem convertatur,) dum solidam distributionis chyli ad Hepar demonstrationem poscit, ut Hepati ad resurrectionem aditus pateat; vel potiùs, ut

ut videat VirClariss. *D.Bartholinum* à scopo haud parum aberrâsse, atque iniquam *Bilsio* conditionem posuisse, dum vult demonstrari illius humoris, quem *Bilsius* âsserit in Heparinfundi, atque ibidem in Sanguinis-rudimentum converti, (quoque adeò Hepatis resurrectio stabilitur,) ingressum in Hepar immediatum contin-tingere ex venis lacteis: audiat ipsum *Bartholinum* apertè profitentem idipsum quod sentit, ac statum Quæstionis hisce verbis exprimentem, in *Spicileg.* 2. *pag.* 108. *Quæstio est*, inquit, *an succus ille nutritius*, (nempe in sanguinem nutritium convertendus,) *Chylus dictus, ex ventriculo Cor primùm petat, per lacteas venas manifestas, vel ad Hepar feratur* (NB.) *per mesaraïcas*, (à prædictis lacteis distinctas?) *Illud tuemur impavidi*, inquit, *quia lacteæ venæ intestina versùs ligatæ tument, & in receptaculum & thoracicas receptum ex ventriculo succum nutritium omnem folæ evomunt: Huic accedere non possumus, quia in mesaraïcis verus chylus, ex ventriculo proximè delatus, necdum visus, nec scimus quâ viâ illuc deveniat, & quo modo?* Quæstio ergo est, profitente *Barthol.* de *nutritio succo*, qui *Chylus* vocatur, qui nempe sit aptus.

aptus converti in ſanguinem; non de *Lympha* ſeu *Rore*, qui ſanguinis materia idonea non eſt, ipſo quoque *Bilſio* judice: Eſtque hic ſtatus controverſiæ, ab ipſo *Bartholino* formatus, an *ſuccus* ille *nutritius*, *Chylus* dictus, qui quidem ſolus nutriendi vim habeat, adeóque in ſanguinem (juxta receptam ipſique *Bartholino* probatum ſententiam,) converti ſit aptus, feratur *Cor verſùs per lacteas venas*, vel pertingat *ad Hepar per meſaraïcas*? Prius tuetur *Bartholinus*, quòd univerſa ſanguinis materia per lacteas, ac conſequenter per ductum thoracicum verſùs cor deferatur; poſteriùs negat contra *Bilſium*, quòd in meſaraïcas venas non ſubintret Chylus immediatè ex inteſtinis. Quòd ſi autem iſte ſit ſtatus controverſiæ, exponente ac confitente ipſomet *Bartholino*, quid poſcit à *Bilſio*, ut demonſtret ſibi *ingreſſum Chyli in Hepar per lacteas venas*, quo ad reſurrectionem Hepati aditus pateat, ſeu ſanguificationis munus eidem aſſeratur? An non iniqua conditio eſt, dum *Bilſius* promittit, ſe demonſtraturum *Chyli* immediatum ex ventriculo ſeu inteſtinis *in Hepar ingreſſum per meſaraïcas rubras* (quem pernegat *Bartholinus*) ab ipſo

ipso postulare, ut demonstret *Chyli in Hepar ingressum per lacteas*; quem motum *Chylo*, seu *nutritio succo*, de quo solo quæstio est, (non de *Lympha* seu *Rore*) ipsa negat Natura judice *Bilsio*. An scopum ferire illa conditio censenda, sub qua demum assensus resurrectioni Hepatis haud difficilis promittitur? Quî verò molliùs dicere vel humaniùs quid potui, quàm dicere videri Virum Clariss. non percepisse *Bilsii* mentem, ubi à scopo aberravit, atque adeò conditionem iniquam proposuit. Quid interim ad illum Controversiæ statum, à *Bartholino* formatum, à nobis fuerit repositum, id potest cognosci *Dissert. Epistol. de Hepatis Officio pag*. 227. & *seq* Certè nullius illic *iniquæ postulationis accusavi Bartholinum*, sed statum Controversiæ paulò aliter formavi; atque asserui contra Cl. *Bartholinum* (quamvis non per omnia ad *Bilsii* mentem) *nutriticium illum succum* qui *Chylus* vulgò dicitur, ex ventriculo, seu propiùs ex ipsis intestinis, partim *Cor petere*, &c. *per lacteas venas manifestas*; partim *ad Hepar ferri per mesaraicas*, atque hunc demum verè proprièque nomen *Chyli* mereri, utpote qui sit in proxima potentia ut in sangui-

nem alimentarium, ac in ipſo quidem Hepate protinus in ſanguinis rudimentum vertatur. Ex quibus utique patet, me *Bilſio* nequaquam per omnia favere, ſed favere veritati, quam ſedulò indago; atque ex parte cum ipſo *Bartholino* ſentire circa Chyli per venas lacteas motum; nequaquam tamen eatenus eidem aſſentiri, ut mihi omnem Chylum hæ evomant ſolæ, vel deferant Chylum propriè dictum, ſeu qui in proxima ſit potentia ut in ſanguinem vertatur. Cæterùm mirabitur certè ipſe *D. Bartholinus* ſequiorem illam ſuæ mentis explicationem, vel fortè indignabitur; cui utique, ſi cum ipſo iniquè egiſſem, nec tali auxilio, nec defenſoribus iſtis, eſſet opus.

Sed nec in uno hoc ſolo nos carpere inſtituit Cl. *D. van Horne*; nec ſatis ipſi fuit invidiam nobis conflare apud illum, contra quem ipſius partes ſuſtinere aggreſſi ſumus, ac contra quem Chyli motum per venas meſaraïcas rubras ad Hepar juxta ipſius mentem defendimus: circa alia itidem conſimilem in nos cenſuram affectat, ac inviſum *Anatomicis* ac *Practicis* omnibus nos reddere inſtituit, præter omne noſtrum meritum. Etenim,

Diſputat,

Disputat. prædict th. 25. de Origine humoris ora rigantis, seu *Salivæ*, ut vocat th.26. inquirens, *A cerebro*, inquit, *alii per occultas vias, alii à succo per nervos delato, quidam à sanguine arterioso, Nobil. Bilsius, & Bilsio favens Clariss. Anton. Deusing. in Exercitat. Phys. Anatom. de Alimenti in Corpore Depurat.* § 83, *à rorifero succo per vasa communiter lymphatica dicta advecto, illum derivant.* Et th. 42. *Ille* (sc. *Bilsius*, cui favet *Deusingius*,) *omnibus Anatomicis, ut haberi vult, perspicacior*, inquit, *lympham seu succum roriferum non modò ad spermaticarum partium nutritionem deferri, ait, sed omnes in corpore humores aqueos inde deducit, atque ita salivam quoque à ductu chylifero, vel, ut ille vocat rorifero, non autem à sanguine vult derivandam: Cui de Salivæ opinioni assensum præbet*, inquit, *Clariss. Antonius Deusingius in Exercitationibus Physico-Anatomicis de Aliment Depur.*p.191.(nempe eâ pag. occurrit antè alleg. § 83.) An rectè assequatur in hisce Vir Cl. mentem *Bilsii*, quoad *Lymphæ* seu *Roris* usum, nec ne; vel an non potiùs *D. D. Zassii* sensum(de quo egi in *Appendice ad Exercitationes de Nutrimenti in corpore Elaboratione*;)

tione,] pro *Bilsii* mente substituat, impræsentiarum non moror: imprimis cùm ipse hactenus sententiam vel opinionem *Bilsii* aut *Zassii*, de *Lymphæ* seu *Roris* motu usuque, nequaquam meam fecerim; ut ut jam pridem, aute *Bilsii* nomen in Orbe literato auditum, lactei alicuius succi ad uterum, ad mammas, aliasque forsan corporis partes, motum sum tuitus. Quod rem præsentem attinet, verba quidem mea, *alleg.* §. 83. seu p. 191. ita habent: *Saliva*, (hoc est, humor ora rigans, namque, ipso Clar. Viro judice th. 29. videtur qui in ore naturaliter reperitur humor om*nis*, *Salivæ* nomine commodè posse insigniri,] *Saliva* igitur, inquam, *partim aquosior seri portiuncula existit, per arteriolas ad os & palatum exsudans; at maximam ejus partem constituit aquosa materia ex glandulis maxillaribus, per ductus salivales promanans, quæ ordinariè per ramulos roriferos à ductu thoracico lacteo, vulgo dicto, ad glandulas illas* (*juxta demonstrationem D. de Bils* ;) *deferri videtur*; (*nequaquam verò è nervoso genere profundi tur in dictas glandulas, ut vult Wharthon. Adenograph. c.* 21.) *quandoque etiam à cerebro per meatus qui sunt in osse sphænoide, tum*

tum adglandulas prædictas, tum affatim in os ipsum sub magnis salvationibus defluit. Ex quibus liquet primò, me disertè non unam Salivæ materam constituere, sed partim quidem *aquosiorem seri portiunculam per arteriolas ad os & palatum exsudantem*, (velut ipse vir Clariss. *alleg. th.* 25. à *sanguine arterioso* salivam derivat, cui adeò hac parte non minùs, quàm aliâ *Bilsio*, *præbeo assensum*, ut adeò hac & ipsi *favere* debuerim pronunciari:) Deinde liquet, me addere *aquosam materiam ex glandulis maxillaribus, per ductus salivales promanantem*; at liquet interea, me non tam pro *Bilsio* hîc statuere, cujus materiam salivalem non nisi partem Salivæ facio, idque satis hæsitanter, dum addo, illam aquosam materiam, quam ex glandulis maxillaribus per ductus salivales promanare assero, *ordinariè per ramulos roriferos, à ductu thoracico lacteo vulgo dicto ad glandulas illas deferri VIDERI*; liquet, inquam, me in eo non tam pro *Bilsio* statuere, quàm rejicere *Whartoni* opinionem, quâ vult aquosam illam materiam, per ductus salivales promanantem, quam partem Salivæ facimus, *è nervoso genere* in dictas maxillares glandulas profundi,

contra quem hîc quoque mihi deprehendo consentientem Clariss. Virum in *alleg. thesi*, dum disertè *nervos aliis usibus destinatos* profitetur: sicque denuò hîc quoque me sibi magis quàm *Bilsio* faventem debuisset agnoscere: Dum verò negat Vir Clariss. illam *Bilsii* materiam saltem partem Salivæ facere, utique, si quidem præstitum ab ipso est, quod pollicetur eâdem thesi se ostensurum, (sc. *lymphæ seu rorifero succo illum usum, non nisi reclamante omni & ratione & experientiâ, posse attribui*,) id sanè præstitum erit quod ipse desideravi, dum equidem non fui ausus ipsi *Bilsio* contradicere, experientiam prætexenti: at eâ nondum comprobatâ non sustinui interim conceptus Bilsianos absolutè probare, sed malui circa eosdem hæsitanter pronunciare, additâ voce, *videtur*. Sic patet utique, me ne in hoc quidem ulteriùs ipsi *Bilsio* favere, quàm favet ipsi veritas; nec admittere pro certa demonstratione, quam prætendit, donec fuerit proposita ac ritè examinata: rationi namque soli hîc fidere non possum, secus atque in motu Chyli ad Hepar per mesaraicas rubras. Fortasse autem occasio hæc erit, ut Nobiliss. *Bilsius* suas prodat demon-

demonſtrationes, ſi quas habet cert ores, quas hactenus premit, nec patiatur veritatem diutius occultari, vel fateatur ſe erraſſe. Denique liquet ex *allegatis* me tertiam adhuc quandam materiam addere, pro Saliva conſtituenda, nempe è cerebro ad glandulas prædictas defluentem: quam equidem materiam Clariſſ. Vir, dum oſtendere laborat *ſanguinem arterioſum huic muneri aptum eſſe* ut Salivæ materiam ſubminiſtret, nequaquam evertit; veluti neque ſolum ſanguinem arterioſum Salivæ materiam ſuppeditare, ullâ demonſtratione evincit; quin imò potiùs contrarium cenſere videtur, dum non obſcurè ſalivæ diverſam naturam agnoſcit, nec ſimplicem eſſe humorem, ſed mixtum profitetur, *th.* 27. 28. ut adeò & hîc me faventem ſibi potiùs quàm *Bilſio* inveniat. Sed hiſce omnibus non obſtantibus, utut tam evidentibus verbis, eò ipſo in loco, quem indigitavit, ſententiam meam manifeſtam reddentibus, dicor nihilominùs *favere Bilſio*, atque *aſſenſum præbere* hujuſce *de Saliva opinioni*, quâ nimirum hanc unicè *à rorifero ſucco, per vaſa communiter lymphatica dicta advecto*, derivat, rejectis interim, quò hoc probet

παράδοξον suum, Anatomicis ad unum omnibus, &c. Tu ipse judica, candide Lector, quàm rectè mei conceptus hic repræsententur, quàm candidè, vel quàm circumspectè, in scenam protrudar, ac tanquam *Bilsio favens*, eidemque *præbens assensum*, non sine emphasi proclamer. Equidem parum omnino referre existimo, quòd dicar *Bilsio favere*, ac cum *Bilsio* sentire, (quamvis certè hic potiùs, ubi verè consentimus, sentiat nobiscum, nostrasque sententias passim, etiam ante *Bilsii* nomen eruditis cognitum, publicè expositas, videatur suis Experimentis confirmare, ut potest liquere ex *Append. ad Exercitat. de Nutrim. in corpore elaborat.*) Nec enim fortè ille favor & affectus, quo in *Bilsium* saltem dicor proclivis, mihi probro vertetur apud Viros honestos, qui *Bilsium* norunt. Hoc saltem norunt, quicunque me norunt, me Bonis favere, ac veritatem amantibus; atque favorem eorundem vicissim optare: detestari me malos, & improbitati faventes, veritatique destinato proposito obnitentes, quin & veritatem inventam iniquè prementes. At interim, dum me socium, Fautorem, ac suffraganeum

neum *Bilsio* Vir Clariss. adjungit, cujus *indolem* sequioris notæ insimulat, *th.* 42. qui, ut probet suum *de Saliva παράδοξον*, (cui assensum præbere dicitur *Deusingius*, ipsi *Bilsio* favens,) *se omnibus Anatomicis perspicaciorem haberi postulet; qui Anatomicos ad unum omnes rejiciat; qui cæteros tum Anatomicos tum Practicos, Veteres simul & Recentiores, ad unum omnes, ut artis ignaros, præ se contemnat, non rationes afferendo in contrarium, sed è trivio sumptis telis (quæ in alio scurrilia vocarent liberiores,) se muniendo*, &c. me utique earundem iniquitatum aut insolentiarum, (ne gravius quid dicam,) quæ *Bilsio* imputantur, (an jure vel injuriâ nequaquam disquiro, nec personalibus aliorum contentionibus me misceo,) reum peragere videtur, saltem apud eos, qui nec me norunt, nec mea viderunt, quo animum meum ex verbis meis colligere possint: Id verò an candido, aut amico, (sub quo etiam salvâ amicitiâ dissentire liberum foret,) an tali, inquam, qui veritatis propugnatorem deceat, affectu, an verò oscitantiâ quadam vel imprudentiâ potiùs, contingat, id animo ac conscientiæ ipsius re-

linquo. Certè fieri non poteſt, quin per imprudentem ejuſmodi ſcriptionis rationem, quâ mea mutantur, quâ opiniones meæ præter meam mentem torquentur, dum interim ei favere aſſenſumque præbere inſimulor publicè, qui omnes rejiciat, qui omnes præ ſe uno contemnat &c. fieri, inquam, non poteſt, quin reddar inviſus, præter omne meum meritum, quàm plurimis paſſim *Anatomicis* ac *Practicis*, quorum ego favorem pro meis laboribus, innoxiis ſaltem, ſi non cuivis utilibus, ſperabam & exſpectabam. Vir candidus ipſa aliorum verba proferat, quos vult laudare vel repudiare, (ſic ago cum aliis, dum veritatem inquiro;) vel ſaltem non detorqueat & verba & ſenſum, nec dubiis locutionibus præjudicia creet, Bonoſque aliorum invidiæ exponat. Quid miſceor perſonis, ubi de rebus agendum quid Inter pugnantes hunc accuſare, vel iniquitatis inſimulare, quid illi favere, detorto ſenſu, pronuncior? dum res expendendæ ſunt, dum ſententia examinanda, ac in veritatem inquirendum, ad quam unicè collimo; ut nec mihi grave ſit, nec probroſum mihi cenſeam, mutare ſententiam, ſi ratione convincar, vel expe-

experientiâ erudiar. Sed excusationem fortaſſe mereri cenſebitur, ſi dicat Vir Clariſſ. præſidium ſe tantùm Reſpondenti præſtitiſſe, non ſe Autorem fuiſſe Diſputationis prædictæ. At præſidio certè ſuo contenta probavit: vel, ſi liceat Profeſſori præſidium præſtare, in gratiam Juventutis, circa dubia paſſim, vel permittere ut certa in dubium vocentur exercitii cauſâ; non licet tamen utique æquitatis ſtudioſo ac Bonoru[m] Fautori præſidium præſtare Poſitionibus ejuſmodi, quibus Vir bonus quicunque præter meritum gravetur, vel injuriâ afficiatur, vel invidiæ exponatur, vel adducatur apud Bonos in ſequiorem exiſtimationem, ſive directè ſive indirectè; ni velit ipſe Præſes injuriarum teneri. Quod *Bilſium* attinet, ingenuè profiteor, quod profeſſus ſum antehac, (cùm aliunde præter votum aliorum rebus implicarer,) me illum omnino magni facere, ex iis quæ partim ex ſcriptis cognovi, ac partim à fide dignis accepi, dignumque cenſere qui à Bonis ametur, ac cujus ingenium ac dexteritas foveatur benevolentiâ & ſtudio Bonorum; dum interim nequaquam ipſius

nævos quoscunque, (ut omnes sumus homines,) excusare præter rationem aggredior: At interim & hoc religiosè profiteor, me nec *Bilsium* ipsum unquam vidisse, nec literarium hactenus commercium ullum cum ipso habuisse: atque adeò nequaquam privatis affectibus circa *Bilsium* indulsisse. Laudavi in ipso quæ censui laudanda, probavi probanda, at interim non minùs improbanda improbavi, (pro ut mihi quidem visa sunt;) in Reipublicæ interim literariæ commoda fui unicè intentus. Certè me *Bilsio favere*, quóusque eidem ipsa veritas favet, quóusque favet eidem justitia & æquitas, cuivis videnti mea scripta manifestè liquebit; at ultra limites illos me *Bilsio* non modò favorem negare, sed & apertè tum ipsi, tum Affeclis ipsius, vel Amicis aut Patronis, contradicere & obluctari, nequaquam latebit. Dum ergo jure meritoque Nobiliss. *Bilsium* favore complector, secundùm merita virtutum, quas in ipso suspicio; discerno tamen nævos: atque candidè passim inter alia aperio, quid displiceat in ipso, (quamvis nequaquam adeò enormia hactenu potuerim animadvertere, quæ tam dira merean-

mereantur, qualia video prodire, ac nonnulla certè excusationem mereantur, meo quidem judicio, quæ admodùm fervidè perstringuntur in ipso.) Sic verò candidè aperui animum, ut metuerim profectò me malam gratiam initurum apud ipsummet *Bilsum*, ejusque Amicos. Sed illum metum excussi, dum pluris apud me est veritatis studium & animi candor, quàm fucus adulationis, ac promiscuus favor. Ac interim magis honestos deprehendi tum *Bilsium* ipsum, tum & ipsius Amicos, quàm ut voluerint videri velle obniti ingenuo candori, affectibus vacuo. Certè neutiquam mihi vel *Bilsii* judicium de *Medica* Arte, vel in alios quoscunque sive *Anatomicos* sive *Practicos*, duriora effata, (ad quæ fortè demum lacessitus prorupit, si vel modum excesserit,) probari vel placere, indiciis publicis luculenter ostendi, sed & iisdem ostendi, haud magis placere Antagonistarum durissimas in *Bilsium* invectivas, quas dum nolui ipse ad censuram vocare, malui saltem talia utrinque potiùs fuisse prætermissa. Hoc unicum repetam ex mea *Dissert. Epistol. de Hepatis Officio, p.* 215. *& seq. Ad commune Rei-*
 publicæ

publicæ Literariæ bonum pertinet, ut foveantur præclara ingenia quæcunque, & si quæ mixtura dementiæ subsit (quod teste Seneca excellentibus ingeniis familiare est, illa humanitatis velo tegatur potiùs, quàm acriori stylo ipse animus configatur. Improbamus utique in Bilsio judicium de Medicina temerè latum, ceu sutoris ultra crepidam progressi; At caveamus ergo, ne in scopulum eundem impingamus vicissim, ac ne judicemus de ipsius Arte, quam nondum percipimus: (nempe, nonnulla *Bilsius* habet, quæ ipsimet ejus Antagonistæ profitentur se hactenus ignorare, si vel dubia mittamus: (*Improbamus in eodem* φιλαργυρίαν; *caveamus ergo, ne vel* φιλαυτίᾳ, *vel invidiâ nos ipsos prostituere videamur.* Ex quibus facilè patet; (ne repetam plura alia,) quóusque faveam *Bilsio*? quóusque nimirum ipsius virtus meretur, & singularis experientia in corporum sectionibus sine sanguinis fusione, &c. Sed patet vicissim, quòd nequaquam ubivis ipsi præbeam assensum, nec commune mihi sit cum ipso negotium. Ipsius scientiam extollo in Arte Anatomica, in condiendis cadaveribus, aliisque

aliisque similibus; at interim nil detraho *Anatomicis* aliis: cuivis meritum defero honorem; ac nemini contradicendi studio contradico, sed studio veritatis in lucem eruendæ, ubi fortè contradico. De Arte Medica Nobiliss. *Bilsii* judicium nequaquam admitto, cùm Medicinam ignoret: at interim minimè ipsi irascor; sed potiùs ignosco judicii temeritati, dum audio ipsũ de re ignota judicare: sic fero æquo animo, si fortè exorbitet, dummodò mihi liceat proficere in iis quæ hactenus me ignorare ingenuè agnosco. Humanitate malo exorbitantias vincere; quàm virulentiâ quâcunque ipsius animum avertere à studio ulteriore. Certè ita circa *Bilsii* personam me gessi, dum circa rem ipsam quid agere institui, ut jure non invenerint quicquam in me ipsius vel æmuli vel antagonistæ, quod vitio mihi vertant, aut cur me aliorum contemptorem insimulent. Solatur me saltem Viri alicujus permagni atque in Arte Coriphæi hoc sequens judicium, quo nuper ad me privatis suis literis, *Imprimis verò*, inquit, *moderata est illa quam cum D. de Bils suscepisti actio, planéque ad genium & ingenium meum est, quòd Virum industrium, & raro invento*

invento Medicis prælucentem, debito honore non exspolias; interim tamen paulò extravagantem tuo exemplo corrigis, ejusque, quâ erga alios uti debuisset, moderationis commonefacis. Quòd si enim hac mansuetudine victus, ad meliorem temperiem reverteretur, & modestius se erga alios gerens, suo se imposterum modulo metiretur, cumque illis quos hactenus injuriosè contemsit, in gratiam rediret, Tu sanè nobis lucratus esses hunc virum, & hanc Tibi deberet gratiam universus Medicorum ordo. In rerum autem indaganda Veritate talem perpetuò me gero, (quantum patitur communis mortalium imbecillitas,) ut nolim aliorum judiciis sanioribus præjudicâsse videri; sed suum cuivis judicium relinquam, liberumve suffragium nequaquam præscindam; certè neminem Eruditorum præ me ipso contemnam: Adeò ut dubium me ac sollicitum sæpius, num (quod conor enixè) arceam satis privatos affectus, propriamq; φιλαυτίαν, nil magis erigat quàm judicium inexspectatum maximorum Virorum, quale in mei præsidium, aliorumque correctionem qualemcunque, hîc itidem subnectere lubet. *Ingenuum illum candorem exosculor, quo &* *Vete-*

Veterum placita modestè tuendo, & Recentiorum inventa commodè interpretando, utraque amicabili consortio jungis; & quicquid ultra veritatis limites extravagare videtur, non dictatoriâ authoritate rescindis, sed amicâ disquisitione examinas. Utinam omnium Doctorum ingenia ad hanc normam, etiam in aliis Facultatibus, essent exstructa; haberemus sanè, ut Poëtæ paulò immutatis verbis utar, plus lucis, & rixæ minùs, insidiæque. Plerisque enim Doctioribus hoc adhæret vitii, ut commenta sua non aliter ac simiæ fœtus suos ament, pro illisque tanquam pro aris & focis acutis linguæ aut calami pugionibus acerrimè digladientur, non sine insigni animi imbecillitate, quâ se interdum satis aliis ridendos propinant. In tanta enim mentis humanæ caligine, qui se errare aut labi non posse putat, vix in Sapientum numero habendus. Atque hæc est sæculi nostri κακοήθεια, ad hunc scopulum plures etiam sublimiorum impingunt, quem tamen Te sobriè & ubique declinare ex dictis factisque tuis clarissimè elucet. Nisi talibus firmarer, diffiderem mihi ipsi, ac crederem, fortasse mihi inscio vel invito quid ullibi excidisse, quod in ansam merito à D. Disputatoribus fuerit arreptum, cur me *Fauto-*

rem

rem pronunciarent eorum, quos innuunt *scurrilibus telis se ipsos munire*; aut cur me dicerent hisce *assensum præbere in opinionibus Paradoxis*, quas, dum *Tragicè ampullantur*, probare instituunt, *contemnendo præ se omnes ad unum, tum Anatomicos tum Practicos, Veteres & Recentiores, ut Artis ignaros*. Sed ipsorum Candori vel prudentiæ hæc relinquo: atque ad *Bilsium* revertor: Huic saltem hactenus gratiæ debentur, quòd stimulum addiderit *Anatomicis* aliis, ad plura inquirenda. Namque *non illis solùm agendæ sunt gratiæ, quorum opinionibus quis acquiescit*, (dicente ac monente *Arist.* 2. *metaph. c.* 1.) *sed etiam illis qui superficie tenus duntaxat dixerunt: quippe nostrum habitum exercent*, atque ad exercitia ulteriora nobis animum addunt. *Si Timotheus non fuisset*, ut dicitur *ibid. multum melodiæ nequaquam habuissemus; si tamen Phynis non extitisset, ne Timotheus quidem*. Sic nisi *Bilsius* fuisset, fortasse habitus quorundam *Anatomicorum* non adeò fuisset exercitus; ac fortè nonnulla non invenisset Clariss. *D. ab Horne*, ni æmulatione laudabili fuisset excitatus. Sed plura non addo, nisi ut repetam votum, ut si quis dignabitur cum Clariss.

Clariſſ. *D. van Horne* ad cenſuram mea quæcunque revocare, is pro verbis meis non ſua obtrudat, nec animi mei ſenſa pro arbitrio detorqueat in ſenſum alienum, nec interim aliorum me invidiæ exponat, præter omne meum meritum. Sic ubi candidè mecum, ac juxta Leges humanitatis, ab aliis agetur, erudiri ab aliis non minùs deſidero, ac corrigi ſicubi fortè ſum lapſus, (id namque humanum eſt,) quàm alios erudire, lapſosve erigere: Nec aliter reſpondebo quàm meæ perſonæ & Profeſſioni conveniat: reſpondebo, inquam, ſi reſponſo ſit opus, humaniter & decenter; quin & porrigam manus, ubi ſenſero me victum, ac ſaltem oſtendam me Philoſophum eſſe, non eſſe pertinacem. Veritatis ac Sapientiæ ulterius ſtudium, ac Reipublicæ literariæ incrementum uberius, ſalvumque Bonorum favorem & amicitiam, ſupremam mihi Legem perpetuò fore polliceor ac ſpondeo. Ac quod præſentia attinet; cùm charitas vetet cogitare quid mali, imprudentiæ potiùs tum Præſidis tum Autoris iniquæ in me Diſputationis ignoſco, quàm animum erga me iniquum incuſo; ſicque Clariſ. Viro D.

I. van

I. van Horne, eundem affectum, nempe candidum & amicum, quem aliàs literis privatis ostendi, porrò devoveo & offero; ac relligiosè profiteor, non aliam mihi potiorem fuisse causam quamcunque hoc scriptum adornandi, quàm ne invitus, ac præter meum meritum, per alios exponar invidiæ cujusquam, quem nolui offendisse. Vale, candide ac veritatis studiose Lector, atque nostro candori & innocentiæ fave. Signabam celeri manu Groningæ 9. Jul. St. Jul. 1661. A. D.